ſtamenti minime nocere potuit tertio, hoc eſt, animæ defuncti in cuius fauorem reſiduum erogari debet ex diſpoſitione defuncti, maxime, cum anima ſit nimis priuilegiata.

7 Tertia ratio, † quare d. chirographum exſequi non potuit, quamuis recognitum vere fuiſſet, eſt, quia in eo aliud etiam chirographum refertur, quod aſſeritur factum fuiſſe ſuper eadem re, item dicitur, ſoluendam eſſe præd. quantitatem ad dies ſeu terminos ſolutionis in dicto alio chirographo contentos: ſicque chirographum hoc, quod producitur, nõ eſt clarum, nec liquidum: quo fit, vt exſequi non poſſit, niſi primo, ad quem fit relatio, producto, vt eſt tex. expreſſus *in authentica. ſi quis in aliquo documento, ibi, nulla ex hac memoria fiet exact. C. de edend.* & tradit in terminis ex hoc caſu tertiam limitationem ad ſimilem diſpoſitionem *d. l. Regia, Rebuff. vbi ſupra, num. 65.* vt allegat Roman. *conſil. 305. incip. quoad ſeptimum, vltima quæſtio.* Et ſublimitat, vt intelligatur, quando ſubſtantia refertur ad aliam ſcripturam, ſec'ſi ad aliud, ſine quo monitio fieri poſſet, vt ſi cõfiteretur, ſe debere centum aureos reſtantes ex obligatione tali. Sed in propoſito terminus ſolutionis contentus in ſcriptura non producta, ad quam fit relatio, eſt ſubſtantia præcipua, vt fiat exſequutio, quia ipſa fieri non poteſt, niſi tranſacto termino ſolutionis, de ipſo ergo neceſſario conſtare debet prius, quam exſequutio fiat; quia dici non poteſt præſenti die deberi, cum dies appoſitus ſit, iſq; incertus, cum reſpectu ipſius fiat relatio ad aliud chirographum non productum.

8 Item hæc ſcriptura † priuata in iudicio producta nihil diſponit, non enim confecta fuit ad obligandum, ſed ad alium effectum in ea contentum valde diſſimilem: alia enim eſt, in qua continetur obligatio cum terminis ſolutionis, vt in hac refertur. Demonſtrari igitur & produci debet ipſa principalis diſpoſitiua, atq; vinculum obligationis continens, vt peti poſſit quantitas pretii rei venditæ, maxime via ſummaria, quia d. l. Regia de Madrid. loquitur in chirographis diſpoſitiuis, claris atque recognitis.

9 Nec obſtat, † quod verba enuntiatiua inter eaſdem perſonas inducant probationem, *vt in l. optimam, C. de contrahend. & commit. ſtipul.* Quia illud procedit, quando ſimpliciter & abſolute a contrahentibus proferuntur. ſecus vero, quando verba contrahentium ad aliud inſtrumentum referuntur, quo caſu non ſimpliciter partes videntur cõfiteri, ſed ſolum quatenus in inſtrumento continetur, *vt in d. authen. ſi quis in aliquo*, quę limitat hoc modo diſpoſitionem *dict. l. optimam*, vt bene perpendit Dec. *in d. auth. nu. 34.*

10 Vnde eſt, † quod verba narratiua facientia mentionem de mandato, non probant mãdatum, etiamſi notarius referat ſe ad proprium eius inſtrumentum dicẽs, *vt appareat in tali inſtrumento a me rogato & confecto, niſi illud producatur*, vt cum Alex. & aliis probat Decius *in d. auth. nu. 32. & 33. & Rolan. a Valle conſil. 15. num. 21. lib. 1.* & faciunt, quæ in materia tradit Matth. de Affl. *deciſ. Neapol. 48. & 273.* ¶ Vbi *nu. 5.* teſtatur † cõmunem, quod non credatur inſtrumento aliquid atteſtanti de præterito.

11 Hæc cauſſa ſententia diffinitiua deciſa fuit 17. die menſis Iulii ann. 1574. in fauorem dictorum teſtamentariorum ſecundum hoc meum conſilium.

SVMMARIA.

1 *Donatio omnium bonorum eſt nulla.*
2 *Donatio reuocatur per atrocem iniuriam.*
3 *Donatio omnium bonorum valet, ſi reſeruetur vſus fructus ad teſtandum.*
4 *Teſtibus inimicis non eſt danda fides: & ſufficit, quod ſit cauſſa inimicitia, licet teſtis dicat non eſſe inimicũ, num. 5.*
6 *In caſibus, in quibus iniuria illata vni perſonæ cenſetur illata alteri, illa, cui cenſetur illata, non eſt idoneus teſtis.*
7 *Teſti de agnatione offenſi non eſt credendum contra offendentem.*
8 *Aduocatus vel ſcribens in iure pro vna parte non eſt idoneus teſtis in illa cauſſa in fauorem illius partis, adeo, vt ſi fuerit teſtis in ea, & decidatur in ſuum fauorem, retractatur ſententia, vt in num. 9. Idem eſt ſi aduocatus proprio motu ſcribat in iure non ad inſtantiam partis, quia adhuc non eſt idoneus teſtis, vt in num. 10.*
11 *Teſtis deponens in iis, quæ pertinent ad propriam exonerationem, non eſt idoneus, neque quando teſti ex dicto ſuo laus vel vituperium poteſt adſcribi, vt in nu. 12*
13 *Officiali publico, prout eſt iudex, nec etiam arbitro in forma teſtium productis credendum eſt in pertinentiis cauſſæ, nec etiam notario producto in teſtem dicẽti, teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis tempore conditi apud ſe teſtamenti.*
14 *Atrox debet eſſe iniuria, vt propter eam reuocetur donatio.*
15 *Atrox iniuria conſideratur ex tribus cauſſis, facto, loco vel perſona.*
16 *Fundans ſe in leg. qualificata, ante omnia debet probare qualitatem illam ad obtinendum.*
17 *Lex quando vnum diſponit, & alterum præſupponit ad hoc, vt habeat locum diſpoſitum, debet prius verificari præſuppoſitum.*
18 *Atrox iniuria quæ dicitur, & qua leuis.*
19 *Conuitium dicitur, quod fit in cœtu & cum vociferatione.*
20 *An vocare aliquem cornutum ſit atrox iniuria attento iure communi & Regio.*
21 *Veritas conuitii an excuſet iniuriantem in caſu l. fin. C. de reuocand. donat.*
22 *Et quid in aliis delictis, an veritas conuitii probata excuſet a pœna?*
23 *Vocare aliquem buboſo non eſt iniuria atrox.*
24 *Furtum rei domeſticæ & parui valoris nõ committitur.*
25 *Donatio ob benemerita & ſeruitia, & ſic ob remunerationem, hoc probato: non reuocatur, etiam ingratitudine ſequuta.*

CONSILIVM XXIV.

ACtor in hac lite duobus nititur fundamentis, ſicque duo articuli examinandi ſunt in præſenti conſilio. Primo, † quod donatio fuit omnium bonorum, ideoque nullam fuiſſe per iura vulgaria, præcipue *ex l. 69. Taur.* ¶ Secundo, quia † rea pluribus conuitiis affecerit donatricem poſt donationem, nempe, *llamandola puta buboſa, y que le auia tomado gallinas:* Quare ob hanc atrocẽ iniuriam reuocatam fuiſſe præd. donationem ratione ingratitudinis, *vt in l. ſi. cum materia, C. de reuocan. dona. ibi, ita, vt iniurias atroces in eum effundat, & in l. 10. tit. 4. p. 5. ibi. fazziendo gran deshonra de palabra.* Præſertim, quod Franciſc. a Ripa *in d. l. fin. qu. 7. nu. 23.* exiſtimat, atrocem iniuriam in propoſito dici, ſi donatarius dixerit, donatorem eſſe cornutum: idem ergo videtur eſſe vocare donatricem, puta, quandoquidem idem conuitium eſt.

Sed his † omnibus non obſtantib. donatio hæc valida & irreuocabilis eſt & firma. Primo, circa primum articulum de donatione omniũ bonorũ, quod ſit nulla, hoc aſſumtum & fundamentum duobus modis ſufficientiſſimis diluitur atq; diſſoluitur, primo, quod non fuit donatio omnium bonorum, ſed tantum certæ rei ſiue ſpecie? quia probatum exſiſtit in proceſſu, alia bona ſuperfuiſſe d. donatrici tempore donationis.

Secundo modo reſpondetur, dato, ſed non conceſ-

ſo, quod fuiſſet donatio omnium bonorum, adhuc valeret, & eſt ſeruãda, quia in ea donatrix reſeruauit ſibi vſumfructũ pro toto tempore vitæ ſuæ, quo caſu cum poſſit teſtari & diſponere de præd. vſufructu, & ſic ceſſet ratio prohibitionis, ne tollatur libera facultas teſtandi, merito quod valeat d. donatio. Ita tenet Paul. de Caſtr. *in l. ſtipulatio hoc modo concepta, in ſi. ver. ff. de verb. obligat.* dicens, quod hoc caſu fructus non caderent in donatione, quia reſeruando vſumfructum videtur reſeruare fructus, qui ex eo percipientur, & de illis poterit teſtari, niſi forte eſſent ita tenues, quod vix ſufficerent ad vitam. Et licet idem Paulus *in l. final. num. 10. C. de pact.* velit contrarium, cuius opinio, & nonnulli alii probent, prima tamen opinio in fauorem donationis verior eſt de iure & tenenda, vt optime probat & reſolnit poſt alios Aym. Crau *conſ. 222. per totum, Andr. Alc. in d. l. fin. nu. 42. & 43. cum Iaſ. & Alex. quos refert:* ſequitur etiam hanc opini. tanquam veriorem plura conſilia Dd. eam tenentium referens Roland. a Val. *conſ 65. nu. 5. lib. 1. vbi refert Abb. conſ. 102. colum. 2. volu. 2.* dicentem, quod hanc opinion. tenent omnes Legiſtæ. Hanc etiam ſequitur, & communem dicit Anton. Gom. *in dict. l. 69. Taur. num. 3.* eandem ſequitur & dicit veriorem & communem de iure communi Couar. *lib. 3. variar. reſolut. cap. 12. per totum.* Et licet tibi ipſe dicat, quod licet hoc ita verum ſit de iure communi Romanorum, tamen hodie attento iure Regio, ſcilicet *dict. l. 69. Taur.* verior ſibi videtur ſecunda opinio ſupradicta, ſcilicet, quod non valeat regulariter donatio omnium bonorũ, cum reſeruatur vſusfructus, fatetur tamen, quod etiã ſtante d. lege Regia ſæpiſſime apud ſuprema huius Regni tribunalia communis ſententia ſupradicta aduerſus Paul. *in d. l. final.* recepta eſſe videtur. Tandem articulum hũc latiſſime & optime examinat nouiſſime D. Molin. *libr. 2. de Hiſpan. primog. cap. 10. nu. 20. & ſequentibus,* & tenet primam opinionem ſupradict. *Pau. d. l. ſtipulatio hoc modo concepta,* plures auctores allegans & communem dicens, & tenet, quod procedit & eſt verior etiam hodie, ſtante *d. l. 69. Taur.* idq; bene probat aduerſus Couar. *vbi ſupra*, & etiam inquit, interdum receptam a pud ſuprema tribunalia ſe vidiſſe. Itaq; hæc eſt vera, communis & tenenda in iudicando & conſulendo, & in praxi recepta opinio donationum omnium bonorum cum reſeruatione vſusfructus ſufficientis ad alimenta ad teſtandum eſſe validam. Sed in proceſſu probatum ſat eſt, vſumfructum reſeruatũ a donatrice ſufficiẽtem eſſe ad omnia ſupradicta, & plus, idq; quamplurimi teſtes experti deponunt: Igitur valida eſt dicta donatio; ſicque omnino deficit primum fundamentum contrariæ partis, præmaxime, quod donataria ſe obligauit in donatione ad faciendam funeris impenſam ipſi donatrici iuxta ſuam qualitatem.

Superest, vt ad ſecundum articulum & fundamentum partis aduerſæ condeſcendamus, ſcilicet; *An donatio hæc reuocata fuerit ob ingratitudinem propter præd. verba iniurioſa in puncto relata?* Et primo teſtibus hoc probantibus non eſt danda fides propter inimicitiam, probatam ex cauſſa, de qua in proceſſu ¶ Teſtibus † autẽ inimicis non eſt danda fides, vt iura proclamant, quæ cumulat ita reſoluens Ant. Gom. *de probat. delict. 3. tom nu. 14.* vbi inter alia † dicit ſufficere, quod ſubſit cauſſa inimicitiæ, ex qua veriſimiliter poſſit reſultare inimicitia, licet teſtis offenſus dicat & aſſerat non eſſe inimicum. Et videndus eſt in propoſito Roland. a Vall. *conſil. 24. n. 24. & ſequentibus, lib. 1. Vbi nu. 10.* tenet & probat, quod in caſibus, in quibus iniuria illata vni perſonæ cenſetur illata alteri, illa pſona, cui † cenſetur illata iniuria, nõ eſt teſtis idoneus contra inferentem. ¶ Et † *num. 81.* tenet, quod teſti de agnatione offenſi non eſt credendum contra offendentem. Cum igitur tota domus, agnatio & familia dicti P. fuerit offenſa ratione cuiuſdam matrimonii extra eam contracti, indeq; præd. inimicitia orta fuerit, quia cauſſa illa tangebat omnes ſuos agnatos, conſequens eſt, vt nullus de iis ſit idoneus teſtis. Vnus teſtis præterea ex ſupra dictis vltra dictã obiectionem aliam non minorem patitur, ſcilicet, quia in cauſſa hac patrocinium ſuum tanquam aduocatus in fauorem d. actricis poſtauit, ſcribẽs in iure pro ea, quare † dicto ſuo iurato minime danda eſt fides, iuxta tex. *in l. fin. & ibi gl. & doct. ff. de teſtib. & in c. fin. de teſtib. lib. 6. l. 20. tit. 16. part. 3.* tradunt Doctor. præcipue Innocent. & Abb. *in c. 2. de arbit. & in c. contingit, de tranſact. Bart. in l. deferre, ad ſi ff. de iur. fiſc. Iaſ. in Rubric. nu. 4. C. de procurat. Burg. de Paz conſ. 11. nu. 14.*

Adeo, vt ſi † aduocatus fuit teſtis in cauſſa, in qua fuit aduocatus, retractatur ſententia, vt ex Montalu. refert Auil. *c. 3. prætor, in gl. abogados, nu. 1.*

Idemq; † erit, quamuis ad inſtantiam partis præd. iuris allegationem non fecerit, ſed ſuo motu proprio minime requiſitus, quia cum votum ſuum declarauerit, & agatur de ſuo honore, quia commodo pecuniario præferendus eſt, *vt in l. iſti quidem ff. quod met. cauſſ.* reiiciendus eſt a teſtimonio, ſicut repelleretur, quando ageretur de commodo ſuo pecuniario, *vt in l. omnibus, cum ſimil. C. de teſtib.* Imo a fortiori cum agatur de ipſius honore, ita Additio Bart. *in d. l. deferre, ad fin.* quia ſua maxime intereſt ob bonum nomen iuris periti acquirendum, quod eſt melius, quam diuitiæ multæ, vt alias inquit ſapiẽs, quod pars ſua obtineat in pręſenti cauſſa iuxta ſuum votum & iudicium, imo nemini dubiũ erit, aduocatum maxime affectare atq; deſiderare, vt iuxta ſuas allegationes cauſſa iudiciali ſententia decidatur.

Item, ſicut † teſtis deponens in his, quæ pertinent ad propriam exonerationem, minime eſt idoneus nec fidem facit, vt tenet Bart. *in dict. l. deferre, num 2. ff de iure fiſc.* vbi eius additio alios refert: ita etiam † quando teſti ex dicto ſuo laus vel vituperium poteſt adſcribi, nunquam fides adhibenda eſt ei, quaſi tũc deponat in cauſſa propria, quo caſu non valet teſtimonium, vt ſupra eſt dictum. Ita in ſpecie tenet & ampliat Felin. alios allegans *in cap. cum a nobis, num 5 de teſtib.* & fuit doctrina Ioann Andr. *ad Speculat. in titul. de teſtibus, §. opponitur, verſ. quod ſi adminiſtrator, Nicol. Bellon. conſ 63. numer 13. & conſ. 75. num. 7. Burgos de Paz vbi ſupra, dict conſ. 11. num. 16.* ſequitur alios referens præcipue doctor *in cap. ex literis, de tranſaction. Roderic. Suarez, allegatione prima, fol. mihi 114 col. 1. in princ.*

Inferens † ex hoc, quod nec officiali publico, prout eſt iudex nec etiam arbitro in forma teſtium productis non creditur in pertinentiis cauſſæ, nec etiam notario producto in teſtem, dicenti, teſtatorem tempore conditi teſtamenti fuiſſe ſanæ mentis, quia iam agit de ſuo negotio & fide. De iudice & arbitro tradit latiſſime amplians & limitans Menoch. *de arbit. iud. libr. 1. q 63. per totam.* Præterea quamuis teſtes eſſent omni exceptione maiores, quod negat, verba tamen iniurioſa probata non continent iniuriam atrocem, ita vt ex eis reuocetur præd. donatio. Atrox † enim debet eſſe iniuria, vt propter eam reuocetur donatio, vt diſponit *l. ſi C. de reuocand. donat. & cap. fin. de donat. & l. 10. tit. 4. p. 5. ibi fazziendo gran deshonra.*

Sed atrox † iniuria dicitur & conſideratur in iure ex tribus cauſſis, facto, loco vel perſona, *vt in §. atrox, Inſtitut. de iniuriis, & in l. Prætor edixit, ad fin. verſic. atrocem iniuriam, ff de iniur. Anton. Gom. 3. tom. capit. de iniuriis, numer. 4.* Et in terminis *dict. l. fin.* quod his modis conſideretur iniuria atrox tenet glof. *3. ibi. & glof. 3. in dict. cap. final.* & vtrobique Doctores, in quibus iuribus præfiguntur ſpecies iniuriæ atrocis. Et tamen nulla ex eis, quæ ibi enumerantur, reperitur eſſe illa, quam pars

aduersa prætendit deducere ex supra dictis verbis; Igitur reuocari non potest dicta donatio. ¶ Quia † qui
16 fundat se in lege qualificata, ante omnia debet docere & probare qualitatem illam, alias non potest obtinere vt pluribus iuribus relatis resoluit Anton. Gom. *3. tom. cap. 1. de delict. nu. 44. & cap. de captura reorum, nu. 1.* estq; verissimum.

Inde est, vt cum † lex vnum disponit, & alterum
17 præsupponit ad hoc, vt habeat locum dispositum, debet prius verificari præsuppositum. Solet ad hoc allegari gloss. singularis *in l. mancipia, verb. auocandum, C. de seru. fugit.* quam ibi commendat Iacob. Butr. & Bald. Rom. *sing. 489. Paul. Paris. cons. 62. num. 36. & seqq. vol. 4.* & plures referens Mexia *in l. Regia Toleti, in quarto fundamento secunda partis, num. 2. & sequentib.* Sed cum lex disponat donationem reuocari ex caussa ingratitudinis & præsupponat atrocem iniuriam requiri ad hoc, necessario debet verificari prius cõmissam fuisse præd. atrocem iniuriam: hoc autem non constat nec probatur: Igitur, &c.

18 Secundo, quod † hic non sit commissa atrox iniuria sed tantum leuis, quando vlla esset, probatur *ex l. 20. tit. 9. part. 7.* vbi lex Regia ad decidendum venit, quæ dicantur iniuriæ atroces (*Que quiere tanto dezir en Romã ce como crueles, y graues,* & quæ leues. & inquit, *que las graues pueden ser conocidas en quatro maneras. La primera por razon del dicho, como por ferida en la persona. La segunda por razon del lugar del cuerpo en que se da, e haze la ferida, como si fuessen en el oio, o en la cara, o por razon del lugar do suesse fecha la deshonra, como quando se haze de palabra, o de hecho delante del Rey o del iuez, o concelo, o en Iglesia, o en otro lugar publicamente ante muchos. La tercera manera, es por razon de la persona, que reciba la deshonra: como si es fecha a padre de hijo, o a abuelo de su nieto, o al senor de su vassallo, o de su rapaz, o de aquel que el afirro, de aquel que el crio, o al iuez. La quarta, es por enemigas, o por rimas, o por famosi libello, q̃ home haze en deshonra de otro.* Subdit statim lex: *E todas las otras deshonras que los homes hazen los vnos a los otros, de fecho, o de palabra, que no son tan graues como de suso diximos, por razon del hecho, o del lugar, o de aquellos que las reciben, son contadas por liuianas. E por ende, mandamos que los iuzgadores que ouieren a iuzgar las enmiendas de ellas, que se apercibán por el departimiento suso dicho en esta ley, &c.*

Verba profecto notanda, quæ nostrum casum manifeste aperiunt & definiunt.

19 Imo etiam † de iure communi idem requirebatur, quod dicit illa lex scilicet, quod conuitium fieret in cœtu & cum vociferatione, ad hoc, vt dicatur conuitium, *vt in l. item, apud Labeonem, §. conuitium, ff. de iniuriis.* Sed in præsenti non contingit iniuria vlla aliquo ex supra dictis modis insignita. Imo etiamsi esset vera assertio prædict. testium, verba, quæ audiisse dicunt, fuit clam noctuque intra parietes priuatos & in absentia, nõ vero cum vociferatione; nullo igitur modo potest dici atrox iniuria. Tertio, quod ex præd. verbis non sit facta atrox iniuria; probatur nouissime *ex l. 2. tit. de las iniurias, y denuestos: lib. 8. nou. copil. Reg.* vbi tunc demũ reputatur grauis iniuria, *llamar a vna muger puta,* quando est nupta, & non alias, quia si nupta non esset, pro leui iniuria reputaretur, & pro tali puniretur *ex l. 3. sequent. d. tit.* puniente alia pœna leui alias iniurias leues præter contentas *in d. l. 2.* Sed pars aduersa non est nupta; Igitur &c. quia qualitas d. l. secundæ, *que sea muger casada:* requiritur pro forma, & sic de ipsa debet cõstare ante omnia, vt supra dictum est, qua deficiente deficit dispositio, & quamuis ipsa procedat respectu pœnæ specialis, *de des dezirze,* quam incurrit delinquẽs contra dict. legem secundam, nihilominus tamen ex ipsa, iuncta lege sequenti ipsiusq; ratione colligitur, leuem esse iniuriam, quando in mulierem non nuptam profertur, quamuis iudex attẽta qualitate personarum & iniuriæ illatæ posset pœnam illius l. augere, *vt in illa lege 3.*

Ex quibus iam † cessat doctrina Ripæ *in d. l. fin. nu. 23.* 20
supra relata tenentis, q̃ vocare aliquem cornutum, esset atrox iniuria: quia licet hæc opinio de iure communi procedere posset, iure tamen Regio, attento saltem in homine non vxorato, vel muliere non nupta, minime locum habet per supradicta, multoq; minus in vidua, quæ, vt fertur, inhoneste vixit publice, maxime, quod requirebatur, iniuriam atrocem commissam fuisse publice & cum vociferatione. Quarto probatur optime ex depositionibus sex testium reæ affirmantiũ non esse grauem nec atrocem iniuriam, quamuis eam p̃d. modo iniuriarent propter publicam formam, quæ in ciuitate erat contra actricem de præd. infamia, tum etiam propter infimam conditionem ipsius.

Nec obstat, † quod in casu *d. l. fin. C. de reuocandis do-* 21
nationibus, cum similibus, veritas conuitii minime excuset iniuriantem, iuxta tradita per Ripam, ibi, *numero vigesimo quinto & sequẽtibus,* quia Ripa ibi refert in hoc plures opiniones & distinctiones, & licet ipse teneat supradictam, adhuc veritatis probatio alleuaret iniuriam, maxime, cum ipsa non sit atrox, vt probatum exsistit. Præterea licet hæc opinio Ripæ de iure communi procedere posset: inspecto tamen iure Regio (quo expresse decisum exstat, quod iniurians aliquem) probando vera esse conuitia, nullam incurrat pœnam: primo, quia veritatem dixit: secundo, vt delinquentes vereantur similia perpetrare propter opprobrium & derisionem, quam patientur, *vt in l. fin. titul. 6. & in l. prima, ad finem, titulo nono, partita septima,* minime habere locum potest.

Et quamuis † probatio veritatis conuitiorum in il- 22
lis delictis, in quibus reipublicæ non interest, vt detegantur, non excuset a totali pœna, bene tamen liberat ab ordinaria & graui, quamuis iniuria facta sit in rixa & prauo animo, vt tradit Didac. Couarruuias *lib. 1. Variarum resolutionem, capit. vndecimo, numero septimo, versiculo octauo mihi, & Frater Dominicus Soto, libro quarto, de Iustitia & iure, quæstione sexta, articulo sexto, pagina trecentesima trigesima prima, columna secunda, Nauarr. in Manuali, capit. 18. num. 48. Petrus Placa de delict. libr. 1. cap. 1. num. 3. & sequentibus. Ioann. Iannez, in suo libell. rerum quotid. cap. 17. num. 11. & Gregor. Lopez in dicta l. glo. magna, ad finem,* quicquid in contrario velit Anton. Gomez *3. tom. cap. de iniuria, nu. 2.* Sed pœna reuocationis propter ingratitudinem ratione atrocis iniuriæ est pœna legis ordinaria; Ergo non debet infligi hoc casu probata veritate conuitii.

Præterea † vocare aliquem bubosõ non est iniuria 23
atrox, vt in terminis decidit Ioann. Iannez *vbi supra, num. 8.* præmaxime, cum probatum exsistat, præd. morbo laborasse actricem; Nam expedit reipublicæ, vt detegatur, ne alios inficiat, vt tenet Greg. Lop. *in d. l. 1. tit. 9. par. 7. gl. mag. in princ.*

Item, † quod furata sit gallinas, res erat domestica par- 24
uique valoris, in qua non committitur furtũ, nec aduersus eam agi furti poterat ea ratione, *vt in l. respiciendum, §. furta domestica, ff. de pœnis, & l. 4. & 17. & ibi Gregor. Lop. in gl. pen. tit. 14. par. 7.* tradit optime Ant. Gome. *3. tom. c. de furtis, nu. 3.*

Vltimo † in fauorem rei facit, quia donatio hæc, de 25
qua agimus, fuit facta ob bene merita & seruitia, & sic ob remunerationem, vt ex instrumẽto donationis patet & probatum bene exsistit in processu, quo casu donatio irreuocabilis est, etiã ingratitudine sequuta, tex. est expressus *in l. si pater, §. 1. iuncta gl. verb. irreuocabilis ff. de donat. Ias. in l. si non sortem, §. libertus, nu. 8. ff. de condict.*

indebit.

indebit. sequitur alios allegans Petr. Duen. *reg. 224. lim. 4. Gregor. Lop. in dict. l. 10. glos. 1. Tiraq. in l. si vnquam, verb. donatione largitus, num. 13. C. de reuoc. donat. Felin in suo repert. verb. donatio remuneratoria, Boer. decis. 27.* Hęc lis finita atq; sopita fuit concordia placita inter partes.

SVMMARIA.

1 *Instrumentum referens totam substantiam alterius instrumenti non comparentis, item & disponens super illa, valet & tenet, quamuis alterum non producatur.*
2 *Verba enuntiatiua per modum caussæ adiectæ ab eo, qui habet potestatem disponendi, inducunt dispositionem.*
3 *Verba enuntiatiua in contractibus regulariter inter easdem personas probant, & nu. 4.*
4 *Verba enuntiatiua in contractibus non inducunt obligationem.*
5 *Verba enuntiatiua recte probant, quando confessio contrahentium est geminata.*
6 *Verba enuntiatiua in vltima voluntate principaliter propter se emissa, dispositionem inducunt, nisi ab herede probetur, per errorem emissa fuisse: & tunc agitur virtute testamenti, non vero primæ scripturæ.*
7 *Quando in vno instrumento fit mentio alterius, non est necesse de primo constare, quando secundũ etiam propter aliud emissum potest principaliter disponere.*

CONSILIVM XXV.

1 VIsa iuris allegatione Magnifici aduocati cuiusdam muti, vltra ibi adducta, iustitia d. muti, quæ meo iudicio indubia est, fundari etiam potest sequentibus.

Primo, quia † instrumentum secundum parentum suorum in iudicio productum, in quo apponũtur vincula & conditiones, primo instrumento non apparent meliorationes tertii & quarti factæ in fauorem d. muti, (in hoc enim Episcopat. Ciuit. immemorabili consuetudine introductum est, vt parẽtes possint liberos suos in tertio & quarto bonorum meliorare, id quod iã in numeris iudicum supremorum sententiis est obtẽtum, ita, vt pro constituto id semper habeatur) est clarum & dispositiuum, quoniam refert totam substantiam & dispositionem primi, & assignat bona, in quibus meliorati habere debent d. meliorationem Additque & disponit, quod d. meliorationem tertii & quarti, quam in his & illis bonis parentes assignant, volunt, *vt eam habeant liberi sui, quos hic nominat, & ceteri descendentes;* quæ verba aperte disponunt, ac per consequens valere debet hoc secundum instrumẽtum, quamuis primum, quod refertur, non appareat, cum legibus Regiis permissum sit parentibus liberos meliorare in 3. & 5. bonorũ, & consuetudo immemorialis huius Episcopatus id in 3. & 4. permittat.

2 Secundo etiam † adhuc non cessante, quod minime cessat, quia verba enuntiatiua per modum caussæ adiecta ab eo, qui habet potestatem disponendi, inducunt dispositionem, vt tradunt gloss. Bart. & doctor. *in l. si socer, §. Lucius, ff. solut. matri. & donat. Bart. in l. ex hac scriptura, ff. de donation. sta. tenet Socin. cons. 227. numer. 2. versicul. 5. quia verba, volumine secundo.* Sed in præsenti verba primæ scripturæ referuntur in hac secunda per modum caussæ, vt constat ex principio eiusdem: Ergo dispositionem inducunt. Sequitur etiam Alexand. *in authentic. si quis in aliquo, numer. 11. C. de edend.* sic limitans illum textum & affirmans, non esse necesse illam aliam dispositionem seu eius scripturam exhiberi, si de ea specifica facta mentio est, sicut fit in hac secunda scriptura, & Decius *vbi, numer. 40.* Quod præmaxime procedit in præsenti casu: quia in scriptura referente habetur certitudo de voluntate disponentium, de quorum mente constat: quia relatio explicite & integra facta est, iuxta ea, quæ tradit Decius, *vbi supra, & Aymon Crauet. cons. 157. num. 16.*

Tertio † quic regulariter verba enuntiatiua in con- 3
tractibus inter easdem personas probant, *vt in l. optimam, C. de contrahend. & commit. stipul. & ibi Salyc. in princ. & in l. 32. tit. 11. part. 5. & ibi Greg. Lop.* Sed hic agimus de probanda voluntate patris inter filios eo tempore emissa, quo nullum ius acquisitum erat Reg. filco ex delicto aliorum filiorum, quia nondum erat commissum; Ergo sufficit secunda scriptura; quamuis prima non appareat. Ad idem est optimus tex. *in l. publica, §. si. vers. respondi. ff. depos.* vbi probatur, quod licet verba enuntiatiua in contractibus non inducant obligationem, inducunt tamen probationem, notat Bar. *in d. l. ex hac scriptura, n. 16. ff. de don.*

Quarto, quia † verba enuntiatiua recte probant, 4
quando confessio contrahentium est geminata, iuxta notata per Bart. *in l. cum scimus, C. de agricol. & censit. libr. 11.* & in hoc casu sæpe ac sæpius pater dicti muti cõfessus est hac in secunda scriptura, se fecisse prædictam meliorationem; Ergo standum est ei, quamuis prima non appareat.

Quinto † & vltimo fundatur iustitia muti ex testa- 5
mento patris ipsius, vbi referuntur ambæ scripturæ easque approbat & confirmat, quod sufficit, quamuis prima non appareat, quãdoquidem secunda producta est, in qua inseritur tenor primæ, & adiicitur dispositio circa dict. meliorationem. ¶ Quia licet virtute primæ scri-
pturæ † agi non possit, virtute tamen testamenti potest 6
agi ex text. *in l. 1. C. de falsa caus. adiect. legat.* vbi notat Salyce. quod verba enuntiatiua in vltima voluntate principaliter propter se emissa dispositionem inducunt, nisi ab herede probetur, per errorem emissa fuisse. Sed in hoc testamento proferuntur verba propter se principaliter, & ad approbandum, ratificandum & confirmandum dict. donationem; Ergo optime disponunt.
¶ Facit doctrina † Bal. *in l. si don. n. 2. C. de don.* vbi proba- 7
tur, quod quando in vno instrumento fit mentio alterius instrumenti, non est necesse de primo constare, quando secundum etiam propter aliud emissum potest principaliter disponere. Viso hoc cõsilio, iudex Regius commissionis datus super bonis delinquentium, qui principio volebat æqualiter diuidere inter omnes filios hæc bona vinculata tanquam libera, quia nõ apparuit primum instrumentum meliorationis, remisit articulum hunc ad Regalem Cancel. Pinc. a qua emanauit sua commissio, vt in ea decideretur, vbi tandem declaratum fuit sententia diffinitiua dominorum lata pro d. melioratione in fauorem d. muti, iuxta hoc consilium.

SVMMARIA.

1 *Ad veritatem copulæ requiritur concursus vtriusque copulati.*
2 *Voluntas testatoris primum locum obtinet & est seruanda.*
3 *Voluntas testatoris facit formam & conditionem.*
4 *Habens vnã ex duab. qualitatibus requisitis per testatorem in patrono, non admittitur ad ius patronatus.*
5 *Præsentatio facta per patronum non habentem qualitatem requisitam a testatore, est invalida.*
6 *Fundãs se ex aliqua dispositione qualificata, ante omnia probare debet omnes qualitates requisitas.*
7 *Testator instituens in genere pauperes indistincte, vel eis aliquid legans, si in ciuitate vel oppido sunt plura hospitalia pauperum, pauperiori debetur, quod si de eo dubietur, Episcopus declarat interloquendo super paupertate.*
8 *Relictum pro dote mulieri pauperi est legatum pium, & an idem sit, si relinquatur coniunctæ mulieri?*
9 *Primo nominatus censetur magis dilectus.*